ex Sallustio

anteuenire. furtis et per latrocinia potius quam bonis artibus
ad imperia et honores nituntur; perinde quasi pretura et con
sulatus atque alia omnia huiuscemodi per se ipsa clara et magnifica
sint. ac non perinde habeantur ut eorum qui ea sustinent uirtus est.
Verum ego liberius altiusque processi. dum me ciuitatis morum piget
tedetque; Nunc ad inceptum redeo. Bellum scripturus sum quod populus
romanus cum iugurtha rege numidarum gessit. Primum quia magnum
et atrox uariaque uictoria fuit. dein quia tunc primum superbie
nobilitatis obuiam itum est. Que contentio diuina et humana
cuncta permiscuit. Eoque uecordie processit. ut studiis ciuilibus
bellum atque uastitas italie finem faceret. Sed priusquam huiusce rei
initium expedia. pauca supra repetam quo ad cognoscendum
omnia illustria magis magisque in aperto sint. Bello punico
secundo. quo dux cartaginensium hannibal post magnitudinem
nominis romani italie opes maxime attriuerat. masinissa rex
numidarum in amiciciam receptus a publio scipione. cui postea
africano cognomen ex uirtute fuit. multa et preclara rei mi-
litaris facinora fecerat. Ob que uictis carthaginensibus
et capto siphace. cuius in affrica magnum atque late imperium
ualuit. populus romanus quascumque urbes et agros manu ceperat.
regi dono dedit. Igitur amicicia masinisse bona atque honesta
nobis permansit. Sed imperii uiteque eius finis idem fuit. Dein
micipsa filius regnum solus obtinuit. manastabale et gulussa
fratribus morbo absumptis. Is adherbalem et hiempsalem ex sese ge-
nuit. iugurthamque filium manastabalis fratris quem masinissa
quod ortus ex concubina erat priuatum dereliquerat. eodem

[Margin: huiuscemodi]

[Interlinear glosses: atque (above "et humana"); fre Annibalis (above "capto siphace")]